



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXXXIX. Diethervs. LXIII. Arch. XVIII. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

misit Petrum Aichspalterum Rudolphi Cæsaris Medicum quondam peritissimum, & Joannem Officiale Trevirenses, ut vocant: unde genere nobiles mox alios, stemmate nimirum præcëlentes sibi junxerunt, neglectâ anathematis sententiâ. Interea Boemundus singulari in Deum pietate accensus, quotidie ferme ad aras faciebat, pacem Superos rogans. Ut eandem etiam ab hominibus impetraret, prudentiâ prorsus singulari usus est in rebus agendis, præsertim verò in dissidentium animis conciliandis. Facilitate tanta erat præditus, ut sui adeundi copiam nemini facile negaverit, licet curis & laboribus, ut probatorum Principum mos habet, occupatus. Circa annum 1292. Noviomagum Constantini M. castris celebre munivit arce: alibi alia molitus, feuda nobilium non paucis concessit. Demum annis & meritis magnus an. 1299. morti succubuit multorum desiderii & lacrymâs deploratus. Sed, an. 12.

SECULUM XIV.

LXXXIX, DIETHERVS. LXIII. ARCH.

XVIII. ELECTOR.

Dietherus Adolphi Nassoviensis Principis, & tandem Imperatoris frater germanus, Ord. S. Dominici vir multis dotibus clarissimus, à Pontifice Bonifacio VIII. in Sedem Trevirensium est promotus. Archipræsulem Canonici mox apposuerunt alterum, nempe Henticum Comitem Virneburgicum in æde Trevirorum summa permagni æstimatum. Dissidiis his ansam dedere maximam partes parum amicæ inter Albertum Austriacum, & Adolphum Nassovium de Solio Imperii decertantes. Tandem Albertus Viris ad Rhenum Principibus non tam nuntiatio, quàm illato jam bello extorsit cum pace obsequium, postquam Bingium occupavit & vectigalia impediât. Trevirenses

Q 2

cives

cives Henrici Comitis Lüzelburgici in urbem recepti ope maxima freti plenam legendi deinceps Magistratus sibi vendicârunt copiam, Diethero frustra ad arma confugiente. Ea tamen lex seditiosis est imposta, ut Archipræsuli suo fidem sacramento firmarent, nec ejusdem sententiis se contraventuros esse unquam promiserint. Confluentiæ non ita res successit: seditiosi enim cives obsidione cincti, & armis sunt debellati, eò majori odio in Electorem suum accensi. Odium hoc diminuit, si non sustulit mors Dietheri. In æde monasterii S. Dominici sepeliri cupivit an. 1307. Sed. 8.

XC. BALDUINVS. LXIV. ARCH.
XIX. ELECTOR.

Balduinus Henrici Lüzelburgici Comitis, & demum Cæsaris frater spei maximæ à Clericis postulatus, Piétavii primò Episcopus est consecratus. Trevirensibus dein exoptatus, jus à civibus recens. conscriptum fratris favore & auxilio fretus abolevit. Annis dein proximis Welaliam & Poppardiam ab Augusto fratre pro navata fideli opera in bello Italico datas ditionibus suis adjunxit, servato altiori dominio Imperatori. Henrico Imperatore mortuo tristiora fata passus est unà cum universo Imperio, dum Electores Imperii in partes geminas divisi, duos elegere Imperatores solio supremo dignissimos, si unum duos posset capere solium. Balduinus Ludovico Bavaro addictus, in Henricum Coloniae Electorem Friderici Austriaci amicum arma convertit; mox verò rebus Coloniae compositis in Spanhemios & Westerburgos à seditione publica vix remotos transtulit. Hactenus tamen multis formidatum Balduinum, & ab Imperatore Ludovico variis beneficiis & honoribus auctum, ac passim multorum victorem gloriosum Laureta Spanhemienfis Vidua Princeps ad Mosellam captum Starckenbergicæ arci inclusit, admodum gravi pe-

cuni-